

# LACVS CON-

S T A N T I E N S I S .

**L**Acum Constantiensem cum circuicente regione nouis ob id accen-  
suimus tabulis, quod ob sui magnitudinē mare quodammodo sit, &  
littora eius frequenti hodie hominū habitatione colantur, adiacēsq;  
terra mira fertilitate prædita sit, uinetis potissimum & arbustis abun-  
dans. Diuiditur aut̄ in superiore lacum & inferiorem. Superior olim Brigan-  
tinus, Acronius & secundū alios Acromus, & Podamicus atq; Rheni lacus fuit  
appellatus. Inferior uero, Venetus. Brigātinus, ab urbe Brigantij, sicut hodie Cō  
stantiensis à Constantia uocatur. Acronius, quasi sine frigore, quod nunquam  
glacie in uniuersum obducat. Acromus, Germanica corrupta uoce, quasi krom  
see, id est, obliquus & arcuatus lacus. Nam à Brigantio & Rheni illapsu usq; ad  
Constantiam, in arcus cuiusdam formam inflectitur. Alterum uero, quem hodie  
Cellensem uocant, scribit doctissimus Vadianus Venetum appellatum, à colo-  
re marino qui c̄eruleus est. Quare autem Podamicus & uulgo Bodensee nomi-  
netur, habes apud eundem in epistola ad Rudolphum Agricolam. Sed & Tho-  
mas Blaurerus patricius Constantiensis de hoc lacu ita scribit. Totum Rheni su-  
perioris prospectum mirum in modum ornatuit natura. Temporum uarietas mu-  
tauit uocabula quādam populorum & locorum, sed in tabula conspicias immu-  
tabilem faciem laci, & quæ nunc sint nomina, ex inscriptionibus lector colliges.  
His finibus quondam situm Gannodorum prisca x̄tas cōmendauit, hodie autē  
Constantia locum præcipū obtinet. Ea urbs ut apparet ex x̄dificijs ac ciuiū ima-  
ginibus, ante concilium, quo cōbustus est euangelij præcursor Hussus, celeberrī  
ma fuit. Post concilium, deflorescere cœpit. Cæterum speculantibus ē ponte Cō  
stātīz suprā apparēt Alpes Rheticę & totus ille tractus lacus Brigantini & Acro-  
nij. Inde se condit, quem usitatissimo nomine uocant Podamicū. Is enim sinus re-  
cedit à flumine uerlus arcem Bodmen, sed uulgo Podamicū uocant illum totum  
recte & ueteres. Quin eruditos audiui ~~ποταμού~~ nominare, quod per hunc Rhei-  
nus uelut in alueo descēdat nusquā resolutus. Suis aut̄ fontibus lacum hūc trans-  
uersisq; fluminib; ac torrentibus & scaturiginib; magis q; Reno oppleri ue-  
risimile est, ut tantum iter quodinstat Reno, is labore ualde cōpositus arripe-  
re. Sed magno miraculo est, quod à ponte uicinum lacum Venetum inter subur-  
bium paradisum, & hinc orbis illinc Enandrenium pascua, exili placidoq; maxi-  
me cursu allabitur, is quem tot amnes in lacum recepti comitantur. Fit id forte  
propter orarum planiciem. In medio aluei, qua urbem interfluit, pedū quinqua-  
ginta altitudinē crater seu uallis subest, ubi uno s̄epe iactu piscatoris milia trigin-  
ta, s̄epe quadraginta piscium trahunt. Numerant autem non nisi ad halecū mag-  
nitudinem accedentes. Nec longe ab eo loco ubi in subiacentem lacum ingredi-  
tur, ubi castellum est Gotlieb, uadum habuisse ferunt. Inferiorem autem lacum  
excedens, ubi Scaphusiam præteriit, horrendo casu exhibet specta-  
culum peregrinis, ita ex arduo præcipito ruens uelut  
sub nubibus x̄dito murmure tonat.